



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 9. De Celtiberis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 8. De Cantabris.

NOMEN habent, ait *Isidorus* ab Ibero Fl. & vrbe, quam aliqui *Iuliobrigam* vocant, & dictam esse olim *Cantam* vaticinantur. Origine *Lacones* erant, vt legitur apud *Strabonem*. Aliquando sumitur pro iis omnibus populis qui iacent inter *Astures*, *Vascones*, & *Celtiberos*.

MORES. Toti erant in armis, quippe omnis in armis lucis causa sita est. Hinc ab *Horatio*, *Bellicosus Cantaber*, & *serà domitus catenâ*. Et tantum indagine capti, vt *feræ* ab *Augusto* ad montem *Eduhium*. Affixi crucibus præna caneant. Capti suos interfecerunt præ libertatis amore.

§. 9. De Celtiberis.

VOCATI sunt & *Berones*, ait *Strabo*, forte à *Vero* Fl. & *Celtoscytha*. Dicti autem *Celtiberi* à *Gallis*, qui cum diu certassent cum indigenis, de hoc nomine conuenerunt.

REGIO. *Dives*, cuius rei signum quod *M. Marcellus* ab iis tributum nomine talentum sexagies exegit. Abundabat & ferro cui optimam stricturam dabat Fl. *Salo Bilbilim* alluens. Tamen *Diodorus*, ait hanc procurari infossis humi laminis & parte molliori per rubiginem exesa. Fuit quoque populosissima, si quidem in ea trecentas vrbes *Tiberius Gracchus* euertit, quod ait *Polybius*, irridet *Strabo*, & turres pro vrbibus dirutas suspicatur; *Florus* enim tantum 160. vrbes agnoscit.

MORES. Facile non deserebant muros, quod ex *Liuiio* colligitur. Circa victus munditiam elegantes. Dentes tamen & totum corpus quotidie urinâ fricabant. Noctu in plenilunio Deum in plateâ locabant, & circa eum choreas agebant. Non cremabant eorum corpora qui in bello ceciderant, sed volucris obiciiebant. De eorum simplicitate vide *Liuium* lib. 40. de *Obsidione Certimæ*. Quam fortes fuerint docuere *Numantini* maxima *Romanæ* victoriæ mora: quos tamen aliqui *Areuacis* assignant, alij *Pelendombus*, omnes *Celtiberis*.